



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Concilium Lvcense II. Anno Domini DLXXII. Celebratum post obitum Ioannis
III. tempore interregni pontificii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ANNO
CHRISTI
572.

vel augmentis ecclesiæ quæstum laboris suis proprie auxit, & ex hoc ecclesiasticis rebus aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem vel perditionem induxit, quidquid in rebus ecclesiæ minuit, ille restituat, ex cuius rebus atque suffragiis suos conuictus fuerit ampliassse labores. Quod si aliquid pro vtilitatibus ecclesiæ, aut substantiæ expendit, aut dispendii vel perditionis quippiam pertrulerit; si hoc comprobare potuerit, totum illi a rebus ecclesiæ eiusdem reformabitur, pro cuius vtilitate id expendisse probatur. Si vero de rebus ecclesiæ tantummodo aliqua acquisisse noscuntur, & ad nomen ecclesiæ instrumenta debent componere, nec aliquibus poterunt illa donare.

* CONCILIVM LVCENSE II.

ANNO DOMINI DLXXII. CELEBRATVM

post obitum Ioannis III. tempore
interregni pontificii.

NOTA.

* *Concilium.*] Hoc Concilium Lucense II. (vt videre est ex constitutione regis, quæ est apud Ambrosium Moralem lib. II. c. 26.) habitum fuit æra 610. anno secundo Ariamiri regis, paulo post quam Bracarense secundum absolutum fuisset. Ab illo ergo Lucensi diuersum esse apparet, quod celebratum est sub Theodomiro parente, æra 607. In constitutione regis, quæ prædicto loco apud Moralem habetur, Theodominus hanc Synodum conuocasse legitur; sed mendose. Canones antiquorum Conciliorum auctore sancto Martino Dumienſe & Bracarenſe episcopo collecti, ad hanc Lucensem Synodum missi fuerunt. Baron. ann. 572. num. 10. 11. 12. item ann. 569. num. 2.

Duo Lucenſia Concilia habita fuerunt.

CAPITVLA COLLECTA
A MARTINO EPISCOPO BRACARENSI.

Martinus Bracarenſis epiſcopus capitula edidit Synodorum Græcarum, quæ citantur a Gratiano, cap. Propter eccleſiaſt. diſt. 18. Erat Græcus, & hæc capitula Græca Latina fecit: vocatur liber capitulorum Martini. Hic cum eſſet Græcus ad vtilitatem eccleſiarum Hiſpaniæ, hæc capitula Græca Latina fecit, & alia quædam ex Latinis addidit, & a Græcis aliqua detraxit, vt eſt in cap. Propter eccleſiaſt. quod deſumptum eſt ex Concil. Antioch. c. 20. Alia etiam ex Toleranis Conciliis poſuit Græcus homo, & ad mores noſtrorum hominum Græcos ritus ſancte & prudenter accommodauit.

Garſias.

*Domino beatiffimo, atque apoſtolicæ ſedis honore * ſuſcipiendo
in Chriſto fratri, * Nitigeſio epiſcopo, vel vniuerſo Concilio
Lucenſis eccleſiæ, Martinus * epiſcopus.*

*Epicoſpus
erat Lucen-
ſis metropo-
litanus.*

** ſuſcipi-
enda,
* Nitige-
ſio
* epiſcopus
ſalernum.*

SANCTI Canones, qui in partibus orientis ab antiquis patribus conſtituti ſunt, Græco prius ſermone conſcripti ſunt; poſtea autem ſuccedenti tempore, in Latina lingua tranſlati ſunt. Et quia difficile eſt, vt ſimplicius aliquid ex alia lingua transferatur in alteram, ſimulque & illud accidit, vt in tantis temporibus ſcriptores, aut non intelligentes, aut dormitantes, multa prætermittant, & propterea in ipſos Canones aliqua apud ſimpliciores videantur obſcura; ideoque viſum eſt, vt cum omni diligentia, & ea quæ per tranſlatoreſ obſcurius dicta ſunt, & ea quæ per ſcriptoreſ ſunt immutata, ſimplicius & emendatius * reſtaurarem; hoc ſimul obſeruans, vt illa quæ ad epiſcopoſ, vel vniuerſum pertinent clerum, vna parte conſcripta ſint; ſimiliter & quæ ad laicoſ pertinent, ſimul ſint adunata: vt de quo capitulo aliquiſ ſcire voluerit, poſſit celerius inuenire.

** reſtaur-
rem.*

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|------------------------------|--|
| I. De electione epiſcopi. | III. De euacuãda ordinatione, qua
absente metropolitano fuerit facta. |
| II. De ordinatione epiſcopi. | |

- IV. De primatu metropolitani.
 V. De eo qui per ambitionem de inferiori ciuitate ad maiorem transire vult.
 VI. De non mutanda parochia.
 VII. De presumptione aliena diocesis.
 VIII. De non constituendo episcopo successore.
 IX. De irruptione vacantis ecclesie.
 X. De episcopo per necessitatem vagante.
 XI. De contemptore episcopo.
 XII. De seditioso episcopo.
 XIII. De *dissensione iudicii.
 XIV. De presumptione episcopi in rebus ecclesie.
 XV. De rebus ecclesiasticis gubernandis.
 XVI. De rebus ecclesie dispensandis.
 XVII. De his qui de ministerio ecclesie aliquid vendiderint.
 XVIII. De Synodo facienda.
 XIX. De episcopo qui noluerit venire ad Synodum.
 XX. De legitima etate ordinandi presbyteros.
 XXI. De eunuchis qui ab aliis fiunt, & qui sibiipsis naturalia abscindunt.
 XXII. De neophytis.
 XXIII. De penitente non admit- tendo ad clerum.
 XXIV. De his qui indiscussi aut presbyteri aut diacones ordina- ti sunt.
 XXV. De presbyteris aut diaconibus, qui post ordinationem de- notantur.
 XXVI. De his qui viduas aut dimissas ducunt.
 XXVII. De fornicatoribus clericis.
 XXVIII. De his, quorum uxores mæchantur.
 XXIX. De viduis clericorum.
 XXX. De filia episcopi, vel presby-
 teri, quæ fuerit deuota, & pec-
 cauerit.
 XXXI. De deuota peccante, vel quæ se maritarit.
 XXXII. De subintroduc-tis ado-
 ptiuis mulieribus.
 XXXIII. De non recipiendis cle-
 ricis, & de infirmanda ordina-
 tione eius qui sine consensu epi-
 scopi sui ab alio episcopo ordina-
 tus est.
 XXXIV. De clericis desertoribus.
 XXXV. De importunis clericis.
 XXXVI. De purganda opinione
 heresis.
 XXXVII. De clericis excommu-
 nicatis.
 XXXVIII. De presbyteris, vt
 in secundis nuptiis non vadant.
 XXXIX. De his qui ad diaconia-
 tum eliguntur.
 XL. De eo, quod non licet diaco-
 num non iussum sedere.
 XLI. De eo, quod non liceat quem-
 libet, vt ministeria tangat.
 XLII. Vt mulieres in sacrario non
 intrent.
 XLIII. Si lector alterius viduam
 duxerit.
 XLIV. Si subdiaconus secundam
 duxerit uxorem.
 XLV. Vt non ascendat in pulpi-
 tum nisi lector.
 XLVI. De conditionalibus non or-
 dinandis, nisi cum consensu pa-
 tronorum.
 XLVII. De non suscipiendis seruis
 alienis.
 XLVIII. De non celebrandis na-
 talitiis martyrum in quadra-
 gesima.
 XLIX. Non suscipi debere infan-
 tes ad baptismum, nisi ante tres
 septimanas pasche.
 L. De non soluendo ieiunio in quin-
 ta feria pasche.
 LI. De chrisma conscienda.

* dissen-
sionibus

- LII. *Non liceat presbytero, praesente episcopo, chrismare.*
 LIII. *Quod non licet presbytero ante episcopum in baptisterio introire.*
 LIV. *De pregnantibus baptizandis.*
 LV. *Quid in altario offerre oportet.*
 LVI. *De presbyteris forasticis.*
 LVII. *De non ieiunando die dominica, nec genu flectendo, similiter, ut in quinquagesima.*
 LVIII. *De praeustandis carnibus, & non execrandis.*
 LIX. *De eo, quod non licet sacerdotibus vel clericis incantaturas, & contrarias ligaturas facere.*
 LX. *De eo, quod non liceat sacerdotibus vel clericis spectaculis interesse.*
 LXI. *De eo, quod non liceat conuiuia facere de confertis.*
 LXII. *De usuris vel negotiorum lucris.*
 LXIII. *De clericis, qui ad matutinum vel vespertinum officium non conueniunt.*
 LXIV. *De eo, quod non liceat clericos dominico ab ecclesia absentari.*
 LXV. *De eo, quod non liceat clericos ante horam tertiam prandere.*
 LXVI. *De attondenda coma clericorum, vel habitu ordinato.*
 LXVII. *De eo, quod non liceat psalmos poeticos in ecclesia dicere, vel libros apocryphos legere.*
 LXVIII. *De eo, quod non liceat super monumenta mortuorum Missam tenere.*

TITVLI CAPITVLORVM

ad laicos pertinentium.

- LXIX. *De eo, quod non liceat Christianis prandia ad monumenta portare.*
 LXX. *De eo, quod non liceat clericis, siue laicis catholicis, ab haereticis eulogias accipere, aut cum ipsis vel schismaticis orare.*
 LXXI. *De eo, quod non liceat Christianis obseruationes diuersas attendere.*
 LXXII. *De eo, quod non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, & obseruare luna & stellarum cursus.*
 LXXIII. *De eo, quod non liceat Kalendas obseruare.*
 LXXIV. *De eo, quod non liceat herbas medicinales cum aliqua obseruatione colligere.*
 LXXV. *De eo, quod non liceat mulieres Christianas in lanificiis aliquid obseruare.*
 LXXVI. *De adulteris.*
 LXXVII. *De mulieribus fornicariis & abortum facientibus.*
 LXXVIII. *De homicidio voluntario, vel non voluntario.*
 LXXIX. *De muliere qua duos fratres coniugio, vel viro qui duas sorores habuerit.*
 LXXX. *De his qui nuptiis inruunt.*
 LXXXI. *De his qui se animalibus commiscuerunt.*
 LXXXII. *De his qui usque ad finem vitae in peccatis perdurant, & in exitu communionem accipiunt.*
 LXXXIII. *De his qui intrantes ecclesiam, per nimiam luxuriam sacramento se abstinent.*
 LXXXIV. *De excommunicatis.*

CANO-

CANONES.

I.

* al. fa-
cere eo-
rum, qui
* promo-
uentur, Non liceat populo electionem * facere, qui ad sacerdotium * prouocantur; sed iudicium sit episcoporum; vt ipsi eum qui ordinandus est, probent, si in sermone, & fide, & in spiritali vita edoctus est.

II.

Episcopum oportet maxime quidem ab omni Concilio constitui: sed si hoc aut pro necessitate, aut pro longinquitate itineris, difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur, & omnium presentium, vel absentium subscriptiones teneantur, & sic postea ordinatio fiat. Huius autem rei potestas in omni prouincia ad metropolitanum pertineat episcopum.

Dist. 63. cap.
Non licet.
& dist. 24.
Episcopus.
& dist. 64. c.
Episcopum.
Burch. lib. 1.
cap. 10. Iud
p. 5. c. 64.
ex Nicæn.
Conc. c. 4.

III.

Non debet ordinari episcopus absque consilio & presentia metropolitani episcopi. Adesse autem oportet omnes qui sunt in prouincia sacerdotes, quos per suam debet epistolam conuocare. Et si quidem omnes occurrerint, melius: * plures si autem hoc difficile fuerit, * plures oportet occurrere. Qui autem non venerint, presentiam sui per suas epistolas faciant: & sic omnium facto consensu, ordinationem episcopi fieri oportet. Si autem aliter, præter quod a nobis terminatum est, fuerit factum, talem ordinationem nihil præualere decernimus. Si autem secundum Canones ordinationis episcopi fuerit facta, & aliquis * contra, sua

Dist. 65. c.
Non debet
ex Concil.
Antioch.
Can. 19.

Concil. Tom. 12.

Q999

malitia in aliquo contradixerit , plurimorum consensus obtineat.

IV.

9. q. 3. Per
singulas
prouincias.

Per singulas prouincias oportet episcopum cognoscere primatum metropolitani episcopi ; & ipsum curam suscipere , nihil autem agere reliquos episcopos præter eum , secundum quod antiquitus a patribus nostris constitutum continetur in Canone. Propter quod & metropolitanus nihil sibi præsumptiue assumat absque consilio ceterorum.

V.

Si quis in parte alicuius fuerit ambitiosior inuentus , siue episcopus , siue presbyter , vel diaconus , de inferiori ciuitate non transeat ad maiorem. Quod si quis contra hæc magni Concilii constituta importunus extiterit , omnimodis euacuetur huiusmodi factum ; & suæ iterum restauretur ecclesiæ , cuius episcopus , aut presbyter , aut diaconus prius fuerit constitutus.

VI.

Episcopum a propria parochia non liceat transire in aliam , neque sua sponte introire , neque inuitatus , neque ab episcopo coactus ; sed permaneat in loco , in quo a Deo est ordinatus , & in eam quam fortiuit ecclesiam secundum antiquum Canonum institutum.

VII.

Si quis episcopus non per scripta metropolitani episcopi , aut qui cum eo sunt , rogatus , de alia prouincia in aliam venerit , sed præsumptiue irruens , ad ordinationem & constitutionem clerico-

rum, qui ad illum non pertinent, importunus existat, vacua sint & inania, quæ ab eo fuerint ordinata. Ipse autem * digna excommunicatione censeatur, & * abominetur a sancto Concilio.

* f. dignus
* al. alienetur

VIII.

Episcopum non liceat ante finem vitæ alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem hoc usurpare tentauerit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum consilio & iudicatu episcoporum, qui post exitum præcessoris potestatem habent, quem dignum elegerint.

8. q. 1. Burchar. lib. 1. c. 187. luo p. 5. c. 303.

IX.

Si quis episcopus vacans in ecclesiam non habentem episcopum, subripiens populos, sine consilio integri ordinis, intruerit; etiam si populus, quem seduxit, desideret illum; alienum eum ab ecclesia esse oportet. Integrum autem & perfectum Concilium dicimus illud, in quo metropolitanus episcopus fuerit.

Dist. 92. c. Si quis episcopus vacans.

X.

Si quis episcopus ordinatus, * pro contemptio-
ne populi, aut pro aliqua alia ratione, & non pro sua culpa, in parochia quæ ei fuerit data, * non læsit, hunc oportet honorem sacerdotum tantummodo contingere; & de rebus ecclesiæ, in qua conuenit, nihil sibi præsumat. Sustineat autem quid de eo sanctum Concilium iudicare voluerit.

* per contentio-
nem populi,
* al. non ierit,

XI.

Si quis episcopus ab episcopis ordinatus no-

Concil. Tom. 12.

Q999 ij

luit agere sacerdotium, neque consenserit in sibi commissa ecclesia ambulare, statim talem excommunicari oportet. Quod si coactus contempserit, sanctum Concilium, quod placet, de eodem terminet. XII.

Si quis episcopus ordinatus fuerit, & non vult ipsam parochiam suscipere, in qua nominatus est, sed alibi vult ordinare, & vim facit, & seditiones concitat contra eos qui illum ordinauerunt, hunc ab honore oportet remoueri. Si autem in pristino honore presbyterii, vult stare, non vitetur, vt gradum quem habuit, retineat. Quod si reluctatus fuerit, etiam de honore presbyterii, ab honore proprio deponatur.

XIII.

6. q. 4. Si quis episcopus in. Vbi dicitur, & in alio: ex Concilio Martini papæ.

Si quis episcopus in * aliquibus iudicatur, & viderit ipsos episcopos qui in * prouincia sunt, inter se in iudicio discrepare; vt alii videantur eum qui iudicatur, iustificare, alii condemnare; pro definitione huius dissensionis, hoc placuit sancto Concilio, vt de vicina prouincia alter metropolitanus conuocetur episcopus, vt per eum confirmetur, quod secundum rectum placuerit Canonem.

XIV.

10. q. 3. Si quis episcopus nulla. Burch. lib. 1. c. 215. & lib. 3. c. 181. Iuo p. 3. ca. 192. & 242. & p. 5. c. 329.

Si quis episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, * in scio clero, aut vbi forte non est presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, & in iudicio episcoporum de iiciatur * auditus, & tamquam furti aut latrocinii reus a suo priuetur honore.

XV.

Quæ sunt ecclesiæ, conseruari cum omni diligentia & bona conscientia & fide Dei, qui omnia videt & iudicat, gubernari ergo oportet cum iudicio & potestate episcopi, cui etiam omnis populus & congregatio commissa est animarum. Manifesta autem debent esse quæ ad ecclesiam pertinent, in conscientia eorum qui circa episcopos sunt, presbyteros & diaconos, vt hi omnes sciant quæ sunt ecclesiæ propria: vt, si episcopo contigerit transitus, nihil eos latere possit ex his quæ ad ecclesiam pertinent, vt nullo modo possint minui & perire. Neque res propriæ episcopi debent importunitatem pro rebus ecclesiæ pati. Dignum re vera, & iustum est apud Deum & homines, vt ea quæ episcopi propria sunt, cui voluerit, derelinquat, & neque ecclesiam perpeti damnum, neque episcopum pro rebus ecclesiæ condemnari, aut post eius obitum in causas quæ ad eum non pertinent, aut in maledictum incidere.

12. qu. 1. C.
manifesta,
ex Can. 4.
Concili
Antioch.

XVI.

Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiæ, vt dispenset necessitatem habentibus cum omni reuerentia & timore Dei: participare etiam eum oportet quæ necessaria sunt; si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquid; vt necessitatem nullo modo patiantur, secundum sanctum Apostolum dicentem: *Victu & tegumento, his contenti sumus.* Si autem res ecclesiasticas episcopi in suas voluntates vsurpare voluerint, & * lucra ecclesiæ, vel fructus agrorum, non cum presbytero-

Ex Concil.
Antioch.
Can. 25.

1. Tim. 6.

* loca

rum, vel diaconorum consilio * intaminauerint, ^{* contra-} aut fratribus, vel filiis, vel quibuscumque propin- ^{minauerit,} quis suis dederint potestatem, vt per eos latenter res lædantur ecclesiæ, hos oportet obnoxios esse Concilio. * Similiter id, si episcopus, vel qui cum ^{* Sin au-} eo sunt presbyteri aut diaconi accusentur, vt quæ ^{tem} ex rebitu, vel ex quolibet † actu ecclesiæ veniunt, in suo sinu colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiuntur, hos corripi oportet, secundum quod ordinatum fuerit a sancto Concilio.

† Hæc vox in simili significatio-
ne vsurpatur 2. qu. 2.
Vulteranæ.
Vide notam
Gregorianam.

XVII.

Distinct. 50.
Si quis.
Iuo p. 3. c.
173. Burch.
lib. 3. c. 179.

Si quis presbyter aut diaconus inuentus fuerit aliquid de * vasis ministerii ecclesiæ venundasse; ^{* eleemo-} quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordina- ^{synis} tione ecclesiastica non haberi; in iudicio tamen episcopi dimittendum esse, siue dignus sit, siue indignus, in suo recipi * gradu: quia simul toties pro ^{* vt de-} hoc ipso, quod de sacrosancto altario intaminaue- ^{beargadu:} rint, id cum episcopi potestate dimissum est.

XVIII.

Ex Concil.
Antioch.
Can. 20.
Habetur
distinct. 18.
cap. Pro-
pter eccle-
siasticas.

Propter ecclesiasticas curas, & altercationum solutiones, bene placuit, per singulas prouincias bis in anno Concilium fieri, conuocante metropolitano episcopo omnes prouinciæ episcopos; ita vt in his Conciliis prodeant omnes presbyteri, diaconi, vel hi quorum in Concilio causæ examinatæ ad iustum iudicium prodantur. Et qui manifeste episcopi vel presbyteri aut diaconi inuenti fuerint in offensa, secundum rationem excommunicentur, quamdiu communi consensu de his placuit dare sententiam. Nulli autem episcopo liceat

^{* f. eccle-} propria apud semetipsum Concilia facere, præter
^{fix.} eos qui sunt metropolis * creditæ.

XIX.

Non liceat ad Concilium conuocatos episco-
 pos continere, sed ire, & ea quæ ad vtilitatem ec-
 clesiæ vel ceterorum pertinent, aut docere, si nouit;
 aut doceri, si nescit. Nam si extra ægritudinem
 contempserit ire, reus erit fraterni Concilii.

XX.

Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit an-
 nos, nullo modo presbyter ordinetur, etsi valde
 sit dignus: quia ipse Dominus tricesimo anno ba-
 ptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergo
 eum qui ordinandus est, vsque ad hanc ætatem le-
 gitimam conseruari.

Afferitur
 distinct. 78.
 cap. Si quis
 triginta.
 Tribut. Bo-
 nifacio pa-
 pæ, verum
 ex Neocæ-
 sariensi Can.
 II.
 Luc. 3.

XXI.

Si quis pro causa ægritudinis naturalia a medi-
 cis habuerit secta, similiter & qui a barbaris, aut a
 dominis stultis fuerint castrati, & moribus digni
 fuerint visi, hos Canon admittit ad clericatus of-
 ficiū promoueri. Si quis autem sanus non per di-
 sciplinam religionis & abstinentiæ, sed per abscis-
 sionem plasmatis a Deo corporis, existimans a se
 posse carnales concupiscentias amputari, castraue-
 rit se, non eum admitti decernimus ad aliquod cle-
 ricatus officium. Quod si iam ante fuerat promotus
 ad clerum, prohibitus a suo ministerio deponatur.

Distinct. 55.
 c. Si quis
 pro ægritu-
 dine.
 Ino p. 6. c.
 374.

XXII.

Qui nuper baptizati fuerint, iam ætate legiti-
 ma, non continuo liceat eos ad ecclesiasticum or-
 dinem promoueri: quia oportet illum prius doce-

ri quod possit docere, quo multo tempore baptismum possit probare: ut bene probatus veniat ad clerum, secundum præceptum Apostoli dicentis:

1. Tim. 6. *Non neophytum; ne in superbiam elatus, in iudicium incidat & laqueum diaboli.* Si succedenti tempore in aliquo graui peccato a duobus vel tribus testibus fuerit conuictus, depositus de gradu suo cesset a clero. Si quis contra hanc regulam facere præsumperit, quasi contrarius magni Concilii, proiiciatur a clero. XXIII.

Pœnitens tantum, si necessitas aut vsus exegerit, inter ostiarios prius deputetur, vel inter lectores; ita ut euangelia vel epistolam non legat. Si qui autem ante ordinati sunt, inter subdiaconos habeantur: ita ut manum non imponant, aut sacra non contingant. Ex pœnitente enim dicimus, ideo quod post baptismum pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, aut grauissimis peccatis, publicam pœnitentiam gerens, diuino fuerit reconciliatus altario. XXIV.

Dist. 25. c. Si quis presbyter.

Si quis presbyter aut diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt, aut certe cum discuterentur, criminosa peccata sua * celauerunt, & post ordinationem ab aliis sunt detecti; abiiciantur a clero. Similiter & de vniuerso ordine cleri seruetur. Nam hoc sibi, quod irreprehensibile est, sancta & catholica defendit ecclesia. * confessi sunt, alia legatur confessi non sunt.

XXV.

16. qu. 1. c. Si quis presbyter. & Neocæsar.

Si quis presbyter ante ordinationem peccauerit, & post ordinationem confessus fuerit, qui antea tea

tea errauit, non offerat; sed tantum pro religione nomen presbyteri portet. * Similiter & de diaconibus seruandum est, vt si ipse confessus fuerit, ordinem subdiaconatus accipiat.

Can. 9. & 10. Burch. lib. 2. c. 48. luo p. 6. c. 149.

* In alia editione hac inserta sunt. Sin autē non ipse confessus, sed ab alio publice fuerit cōuictus, nec hoc ipsum habeat, vt nomen presbyteri portet. Similiter, &c.

XXVI.

Si quis viduam aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad clerum; aut si obrepserit, reiciatur: similiter si homicidii, aut facti, aut præcepto, aut consilio, aut † assensione post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, deiciatur, & in finem vitæ suæ communionem non recipiat.

† defensione est apud Gratianum: verum Gregoriana nota videtur probare hanc lectionem, & Conciliū Tribur. c. 11. Hieronym. epist. 128. ad Fabiolam, sic interpretatur viduam eiectionem & meretricem: Vidua, inquit, est, cuius maritus est mortuus; eiectionem est, quæ a marito viuente proicitur; meretrix, quæ multorum libidini patet. Dist. 34. cap. Si laici. & dicitur, ex Concilio Martini papæ.

XXVII.

Si quis presbyter aut diaconus fuerit fornicatus aut mœchatus, proiciatur, & agat pœnitentiam.

XXVIII.

Si alicuius laici vxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem, alicuius clerici vxor adultera fuerit, dimittat eam: si autem cum ipsa voluerit permanere, a ministerio alienus sit.

XXIX.

Si qua vidua episcopi vel presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla * religiosa cum ea conuiuium sumat, nunquam communicet; morienti * tantum ei sacramenta subueniant.

Dist. 18. Si qua vidua. ex Concilio Toler. I. cap. 18.

* religiosa perfecta

* tamen

XXX.

Si deuota fuerit, & maritum duxerit; si eam pater vel mater in affectum receperint, a communio-

Concil. Tom. 12.

Rrrr

ne habeantur alieni. Pater vero causas in Concilio se nouerit præstaturum ; mulier vero non admittatur ad communionem , nisi marito defuncto egerit pœnitentiam . Si autem uiuente eo recesserit & pœnituerit , communionem in ultimo vitæ deficiens accipiat.

XXXI.

Deuotam peccantem non recipiendam in ecclesia, nisi peccare desierit, & desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis ; & recipiat communionem. Prius autem quam in ecclesia admittatur ad orationem , ad nullius conuiuium Christianæ mulieris accedat. Quod si admissa fuerit , etiam ea quæ illam receperit , habeatur abstenta. Corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit , non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc uiuente ipso marito , caste vixerit , aut post ipse de hac vita discesserit.

XXXII.

Nullus episcopus, neque presbyter, neque diaconus , neque omnino aliquis ex clero licentiam habeat intromittendi ad se quasi adoptiuam aliquam mulierem , quasi in loco * filiæ , aut matris, nisi forte * filie, aut sororis, aut matris, sororem veram ex germanitate, aut sororem vel matris vel patris, & illas solas personas quæ ab omni mala suspicione alienæ sunt. Similiter & religiosis feminis laicorum alienorum familiaritatem & confortium prohibemus , & eorum qui nec in Dei timore subiecti sunt, nec continentia retinent disciplinam.

XXXIII.

Si quis in contemptu positus presbyter vel dia-

conus, vel quicumque ex clero recesserit ab ecclesia, nullo modo in alia suscipiatur ecclesia, sed omni modo compellatur, vt ad suam reuertatur ecclesiam: si autem permanserit in superbia, & reuer-
 ti noluerit, excommunicetur & proiiciatur. Si quis
 autem episcopus ausus fuerit in * sua ecclesia ordi-
 nare, non consentiente episcopo suo a quo re-
 cessit, ordinatio eius vacua deputetur.

* al. cum
 in sua ec-
 cl. ordi-
 nare,

XXXIV.

Si quis presbyter aut diaconus, aut aliquis de clero, propriam ecclesiam derelinquens, ad alteram ecclesiam vadit, & ibi multo tempore demoratur, omnino nunquam ministret in clero: & si admonuerit eum episcopus suus, vt ad suam redeat parochiam, & redire noluerit, vbi est, ibi de suo officio deponatur; ita vt nunquam in suo reuertatur gradu propter dissolutionis peccatum. Si autem episcopus alter illum susceperit, qui de reatu eius est conscius, oportet ipsum episcopum sine increpatione in communi Concilio non admitti, vt ecclesiasticum Canonem vltra non soluat.

XXXV.

Si quis episcopus, presbyter aut diaconus ex-
 communicatus, in Concilio iniuste se queritur con-
 demnatum, ad maius episcoporum Concilium re-
 uertatur; & eorum inquisitionem & iudicium ex-
 pectans, si quas se iustas causas habere putat, expo-
 nat. Si autem contempserit, & * importans se pa-
 latio, aures principum inquietare voluerit, hic ad
 nullam veniam poterit peruenire, neque spem futu-
 ræ reconciliationis habebit.

21. q. 4. Si
 quis episco-
 pus. ex C6c.
 Antioch.
 Can. 11.

* impor-
 tunans
 alias, im-
 portunus
 palatio

1. qu. 7. Si quis episcopus.

Si quis episcopus, siue alicuius episcopi presbyter aut diaconus in alicuius hæresis opinionem offenderit, & ob hanc causam fuerit excommunicatus; nullus episcopus eum in communionem recipiat, nisi prius in communi Concilio, porrecto fidei suæ libello, satisfaciat omnibus, & ita liberam teneat suam purgationem. Hoc idem & de fidelibus laicis sit decretum, si in * aliquam hæresis opinionem fuerint nominati.

* aliqua hæresis opinione

11. qu. 3. Si quis episcopus in. ex Can. 5. Cōc. Antioch.

Si quis episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, siue presbyter, siue * diaconus, facere oblationem, vel matutinum, vel vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere sicut prius non liceat ei, nec in alio Concilio spem reconciliationis habere, nec ultra * recolligi; sed etiam eos qui ei communicauerint, omnes ab ecclesia respui, maxime eos qui sciebant eum esse * deletum. Si autem permanserit turbans & concitans ecclesiam, per * forasticam potestatem oportet eum sicut seditionarium ab omni plebe expelli.

* In Canone Concilii Antioch. est *ἐπιμαρτυρία*, quod Dionysius vertit, per potestates exteras. forastici, Can. 56.

* diaconus a suo episcopo, & post excommunicationem presumpserit, siue episcopus, ille aut presbyter, aut diaconus facere oblationem
* recedunt de iedū.
* forasticam. Græci nomen.

Presbyterum ad secundas nuptias conuiuiam fieri non oportet, propterea quod hi qui ad secundas nuptias veniunt, pœnitentiam postulant. Quomodo potest presbyter esse, qui propter conuiuium interest tali coniugio?

Si quis ad ministerium diaconatus eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio,

& dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit, alienus sit a ministerio, & vacet a clero.

XL.

Non licet diaconum ante presbyterum sedere, nisi cum iussione presbyteri.

XLI.

Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi subdiacono aut acolyto in secretario tangere vasa dominica. Dist. 24. c. Non liceat cuiuslibet.

XLII.

Non liceat mulieres in sacrario ingredi.

XLIII.

Lector si viduam alterius vxorem acceperit, in lectoratu permaneat: aut si forte necessitas sit, subdiaconus fiat, nihil autem supra: similiter & si bigamus fuerit. Dist. 34. cap. Lector. & in Conc. Tol. I. cap. 3.

XLIV.

Si subdiaconus secundam duxerit vxorem, inter lectores vel ostiarios habeatur; ita vt Apostolum non legat. D. 34. c. Si subdiaconus. & in Conc. Tol. I. c. 4.

XLV.

Non liceat in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab episcopo lector est ordinatus. Dist. 29. c. Non liceat in pulpito.

XLVI.

Si quis obligatus ^{* al. est tributo} tributo seruili, vel aliqua conditione, vel patrocinio cuiuslibet domus, non est ordinandus clericus, nisi ^{* al. probatz} probandæ vitæ fuerit, & ^{* confensus} patroni concessus accesserit. Dist. 53. Si quis obligatus est tributo. ex Conc. Tol. I. cap. 10.

XLVII.

Si quis seruum alienum causa religionis doceat 17. q. 4. Si quis seruus

alienum.
Burch. l. 8.
c. 25. Ino p.
7. c. 43. idem
in Conc.
Gang. c. 3.

contemnere dominum suum, & recedere a seruitio eius, durissime in omnibus arguatur.

XLVIII.

33. q. 4. Non
licet. Bur.
lib. 13. cap.
10. Ino. p. 4.
ca. 34.

Non liceat in quadagesima natales martyrum celebrare, sed tantum sabbato & dominico pro commemoratione eorum oblationes offerri: sed nec natalitia, neque nuptias liceat in quadagesima celebrare.

XLIX.

De consecr.
dist. 4. Non
liceat ante.

Non liceat ante duas septimanas paschæ, sed ante tres ad baptismum suscipere aliquem. Oportet autem in ipsis diebus, ut hi qui baptizandi sunt, symbolum discant, & quinta feria nouissimæ septimanæ episcopo vel presbytero reddant.

L.

De consecr.
dist. 5. Non
liceat quin-
ta.

Non liceat quinta feria nouissimæ septimanæ ieiunium soluere, & omnem exhonorare quadagesimam, sed sincere abstinentes totam quadagesimam * perexire.

* al. per
agere.

LI.

Omni tempore episcopis liceat chrisma conficere, & per suas dioceses destinare; ita ut ad dirigendum chrisma diaconus aut subdiaconus ante diem paschæ de singulis ecclesiis ad episcopum destinentur.

LII.

Dist. 95. c.
Presbyter.
de consecr.
dist. 4. cap.
Omni tem-
pore.

Presbyter, præsentem episcopo, non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi præceptum.

LIII.

Non liceat presbytero prius ab episcopo in ba-

ptisterium introire , sed cum episcopo ; nisi forte aut absens fuerit , aut ægrotus.

LIV.

Si qua mulier prægnans desiderauerit gratiam baptismi percipere , quando voluerit , habeat potestatem : nam nihil in hoc participat mater infanti qui nascitur , propterea quod vniciuique propria posse voluntas in confessione monstretur.

De consecr. dist. 4. Si qua mulier prægnans. Ex Concil. Neocæs. Cap. 6.

L V.

* sacramento

Non oportet aliquid aliud in * sanctuario offerri , præter panem & vinum & aquam , quæ in typo Christi benedicuntur : quia dum in cruce penderet , de corpore eius effluxit sanguis & aqua : hæc tria vnum sunt in Christo Iesu ; hæc hostia & oblatio Dei in odorem suauitatis.

De consecr. dist. 1. Non oportet.

LVI.

Forasticis presbyteris , præsentem episcopo vel presbytero ciuitatis , offerre non liceat , nec ministrare in populo , nisi forte illis absentibus.

Alio nomine presbyteri ruris, ut dicitur dist. 95. cap. Presbyteri ruris, ex Concil. Neocæs. cap. 13.

L VII.

† Si quis presbyter propter publicam pœnitentiam a sacerdote acceptam , aut aliqua necessitate , die dominica pro quadam religione ieiunauerit , sicut Manichæi , anathema sit. Similiter & quod ab apostolis traditum Canon tenet antiquus , placuit , tam per omnes dominicas , quam per omnes dies paschæ vsque ad quinquagesimam , non prostrati , nec humiliati , sed erecto vultu ad Dominum orationum fungamur officio : quia in his diebus gaudium resurrectionis dominicæ celebramus.

Dist. 30. c. Si quis presbyter. Burc. lib. 13. cap. 20. luo part. 4. c. 52. † Citat Burcharthus & luo similem Canonem ex Conc. Turon. his verbis : Si quis propter publicam pœnitentiam a sacerdote acceptam , aut pro aliqua necessitate.

Si quis non pro abstinentia, sed pro execratione escarū, abstinet, placuit sancto Concilio, vt prægustet; & sic si vult, abstineat: si autē spernit, ita vt olera cocta cum carnibus non degustet, iste non obediens, neque suspensionem hæresis a se remouens, deponatur de ordine clericatus. LIX.

Isid. lib. o.
rig. 8. cap.
de Magis:
Incantato-
res (inquit)
dicti sunt,
qui artem
verbis pera-
gunt.

Non liceat clericis incantatores esse, & ligaturas facere, quod est conligatio animarū. Si quis hæc facit, de ecclesia proiciatur. LX.

Non liceat sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis vel in conuiuio spectare: sed oportet, antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere, & recedere inde. LXI.

Dist. 44.
cap. Non li-
ceat sacer-
dotes.

Non liceat sacerdotibus vel clericis, sed nec religiosis laicis, conuiuia facere de confertis.

LXII.

14. q. Siquis
oblitus.

Psalms. 14.

† Nicænum
intelligit, ex
cuius Can.
17. hanc sen-
tentiam
sumpsit, &
habetur. 14.
quest. 14.
cap. Quo-
aiam.

Si quis oblitus timorē Domini, & sanctam scripturā quæ dicit: *Pecuniam suam non dedit ad usuram:* post hanc cognitionem † magni Concilii feneruerit, & centesimas exegerit, aut ex quolibet negotio turpia lucra quæsierit, aut per diuersas species vini vel frugis, vel cuiuslibet rei, emendo & vendendo * incrementa susceperit, depositus de gradu suo, alienus habeatur a clero. LXIII.

* aliqua
incre-
menta

Dist. 92.
cap. Si quis
presbyter.
ex Tolet. 1.
cap. 5.

Si quis presbyter vel diaconus, vel quilibet clericus ecclesiæ deputatus, si intra ciuitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo ecclesia est; & ad quotidianum psallendi sacrificium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non conuenit, deponatur a clero; si tamen castigatus, veniam ab episcopo

scopo per satisfactionem noluerit promereri.

LXIV.

Non liceat quemlibet clericum die dominico ab ecclesia absentem esse, sed Missarum solennibus interesse.

LXV.

Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire conuiuia, neque aliquando clericos, nisi hymno dicto, edere panem; & post cibos gratias auctori Deo deferre.

Dist. 44. c.
Non liceat
sacerdote.
Bur. l. 2. c.
165. luo p. 6.
c. 256.

LXVI.

Non oportet clericos comam nutrire, & sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus; & secundum Aaron, talarem vestem induere, ut sint in habitu ordinato.

LXVII.

Non oportet psalmos compositos & vulgares in ecclesia dicere, neque libros qui sunt extra Canonem, legere, nisi solos canonicos noui & veteris testamenti.

LXVIII.

Non oportet clericos ignaros & præsumptores super monumenta in campo ministeria portare, aut distribuere sacramenta; sed aut in ecclesia, aut in basilica, vbi martyrum reliquiæ sunt depositæ, ibi pro defunctis oblationem offerre.

De consecr.
dist. 1. Non
oportet.

CAPITVLA AD LAICOS PERTINENTIA.

LXIX.

Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulcra deferre, & sacrificare de re mortuorum.

De consecr.
dist. 2. Non
liceat.
Burc. lib. 10.
cap. 38. luo
p. 11. c. 63.

Concil. Tom. 12.

ssff

LXX.

1. q. 1. Non
liceat cleri-
cis

Non liceat clericis, vel laicis catholicis, ab hæreticis eulogias accipere; quia maledictiones sunt magis, quam benedictiones: neque licet aut cum hæreticis, aut cum schismaticis orare.

LXXI.

26. q. 5.
Non liceat
Christian.
Bur. lib. 10.
cap. 6. Iuo
p. II. c. 34.

Si quis paganorum consuetudinem sequens, diuinos & sortilegos in domo sua introduxerit, quasi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant, vel lustrationes paganorum faciant; quinque annis pœnitentiam * agant.

* agat.

LXXII.

26. q. 6. Non
liceat. Bur.
lib. 10. c. 3.
Iuo p. II. c.
40.

Non liceat Christianis tenere traditiones gentiliū, & obseruare vel colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam, pro domo * facienda. Scriptum est enim:

Coloss. 3.

Omnia quæ facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo.

* facien-
da, aut
propter
leges
vel arbo-
res plan-
tandas,
vel con-
iugia ho-
cianda.

LXXIII.

26. quæst. 7.
Non licet.
Bur. lib. 10
cap. 15. Iuo
part. II. cap.
42.

Non liceat iniquas obseruationes agere Kalendarum, & otiiis vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc obseruatio paganismi est.

LXXIV.

26. q. 5.
Non liceat.
Bur. lib. 10.
cap. 20. Iuo
p. II. c. 47.

Non liceat in collectione herbarum quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes aut incantationes attendere nisi tantum cum symbolo diuino, aut oratione dominica, aut tantum, Deus creator omnium, & Dominus honoretur.

LXXV.

Non liceat mulieres Christianas aliquam vanitatem in suis lanificiis obseruare, sed Deum inuocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit.

Dist. 50. c. Si quis voluntarie. luo p. 10. c. 39.

LXXVI.

Si cuius vxor adulteriū fecerit, aut vir in alienam vxorem inruerit, septem annis pœnitentiam agat.

LXXVII.

Si qua mulier fornicauerit, & infantem qui exinde fuerit natus, occiderit; & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est necare; aut certe, vt non concipiat, elaborat, siue ex adulterio, siue ex legitimo coniugio; has tales mulieres nec in morte recipere communionem priores Canones decreuerunt. Nos tamen pro misericordia, siue tales mulieres, siue conscias scelerum ipsarum, decem annis agere pœnitentiam iudicamus.

LXXVIII.

Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad ianuam ecclesiæ catholicæ semper subiaceat, & communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non voluntarie, sed casu aliquod homicidium fuerit factum, prior Canon septem annis agi pœnitentiam iussit, secundus Canon quinque mandauit.

Dist. 50. c. Si quis voluntarie. luo p. 10. c. 39.

LXXIX.

Si quæ mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, a communionem abstineantur vsq; ad mortem; in morte autem eis communicatio pro misericordia detur. Si autem superuixerint communionem accepta, & de infirmitate conualuerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

32. q. 7. Si
quis fuerit.
Burg. lib. 9.
cap. 63.
Iuo part. 8.
199. cx
Conc. Neo-
cxl. c. 3.

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat: conuersatio autem & fides pœnitentis compendiat tempus.

LXXXI.

Si quis ante viginti annos in cuiuslibet animalis commistionem peccauerit, quindecim annis in humilitate subiaceat ad ecclesiæ ianuam; & post hos aliis quinque annis in orationis tantum communionem receptus, pœnitentiam agat, & sic gratiam sacramenti suscipiat. Interrogentur autem alii de eo, qualem vitam in pœnitentia egerit: & sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post viginti annos habens vxorem huic peccato inruerit, viginti quinque annos * humilitate subiaceat, & quinque annis orationibus tantum communicans, postea recipiat sacramentum. Quod si & hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum * in exitu consequatur: oportet enim tales inter dæmoniosos ordinare.

*f. in hu-
militate.
af. humi-
litati

* nec in
exitu

LXXXII.

26. q. 6. Si
quis de cor-
pore.

Si quis de corpore exiens nouissimum & necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod si in desperatione positus, post perceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum * orationis particeps sit: * nam non accipiat sacramentum, donec constitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis sunt, & desiderant accipere sacramentum, cum consideratione & probatione episcopi accipere * debeant.

* oratio-
ne
* sacra-
mentum
veto non
accipiat,

* de-
bent.

LXXXIII.

* scripturas audit,

Si quis intrat ecclesiam Dei, & sacras * scripturas non audit, & pro luxuria sua auertit se a communione sacramenti, & in obseruandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, istum talem proiciendum de ecclesia catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ; vt possit * communione percepta indulgentia promereri.

De consecr. dist. 2. Si quis intrat, ex Concil. Antioch. Can. 2.

* communione percepta indulgentiâ promereri. Græce est, ἡ ἀποστολή τοῦ ἀποστόλου ἐν τῷ δευτέρῳ κεφαλαίῳ.

LXXXIV.

Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introire, neque orare cum eis; neque liceat, vt in alia ecclesia se regentur. Si autem aliquis episcopus aut presbyter aut diaconus, aut quilibet ecclesiasticus excommunicato communicauerit, quasi perturbans omnem disciplinam ecclesiasticam, excommunicetur.

VITA,

ANNO CHRISTI 573.

EPISTOLA ET DECRETA
BENEDICTI PAPÆ I.

Ex libro pontificali.

BENEDICTVS natione Romanus ex patre Bonifacio, ^b sedit annos quatuor, mensem vnum, dies viginti octo. ^c Eiusdem tempore gens Longobardorum inuasit totam Italiam, simulque & fames nimia, vt etiam multitudo castrorum se traderet Longobardis, vt temperare posset inopiam famis. Quod dum cognouisset Iustinus piissimus imperator, quia Roma periclitaretur fame & mortalitate, misit in Ægyptum, & oneravit naues frumento, & transmisit Romam. Et sic misertus est Deus Italiæ. In istis laboribus & afflictionibus positus sanctissimus Benedictus papa mortuus est. Qui sepultus est in basilica beati

Ssss iij